



## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. XLI. Concordatorum. Indagatur, an Concordatis Germaniæ circa  
Provisionem Beneficiorum in præjudicium Papæ per contrariam  
consuetudinem derogari possit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72304)

In causa Provisionis Apostolicæ de Scholasteria  
contra consuetudinem in contrarium asser-  
tam à Capitulo,

## SUMMARÍUM.

- 1. seqq. *Facti species.*
- 5. *Rationes contra Provisionem Apostolicam.*
- 6. *Provisio beneficiorum vacantium per promo-  
tionem ad dignitatem Episcopalem competit  
Sedi Apostolicae.*
- 7. *Rationes, quæ videntur probare, non posse  
per consuetudinem derogari Concordatis Ger-  
maniae.*
- 8. *Statuitur probabilis sententia affirmativa.*
- 9. *Respondetur ad rationes oppositas.*
- 10. *Per consuetudinem contrarium non potest  
anferri Pontificij conferendi beneficia.*
- 11. *Pontifex concurrere potest cum omnibus  
Collatoribus inferioribus.*
- 12. *Pontifex absolute potest contravenire Con-  
cordatis Germaniae.*
- 13. *Beneficium illius, qui promoverur ad Epis-  
copatum, reservatur summo Pontifici.*
- 14. *Allegata a consuetudo debet probari.*
- 15. 16. *Consuetudo Concordatis contraria  
non potest ligare manus summo Pontifici.*
- 17. *Ex non resistentia non infertur approbatio.*
- 18. 19. *Consuetudo à casu ad easum extendi  
non debet.*

## FACTI SPECIES.

I.



Nno proximè e-  
laldo ad Insulam Ecclesiæ cujus-  
dam Cathedralis electus est Reverendissimus Do-  
minus Scholasticus ejusdem Ec-  
clesiæ: vacavit itaque per hanc  
eius promotionem cum Canoniciatu Scho-  
lastræ, & quidem de jure apud Sedem A-  
postolicam. Proinde illam cum Canonici-  
atu sic vacante Sanctissimus contulit Re-  
verendissimo Domino Carolo. Hic, ubi Con-  
versum Apostolicum super hac provi-  
sione accepit, ut facilitaret, & accelera-  
ret collationem pacificæ Possessionis, quam ob  
quasdam exceptiones, & oppositiones suspen-  
dendam, aut alio modo inquietan-  
dam audiit, illico personaliter perrexit ad  
locum Capituli, quod ubi advenit, per  
quasdam fideles nuntios intellexit, quod,  
Capitulum certis argumentis inductum,  
pridie adventus sui elegerit alium ex Cano-  
nicis, & gremio suo in Scholasticum.

2.

Hoc tamen non obstante, Dominus Caro-  
lus, volens explorare sensum DD.  
Capitularium, alterā die ab adventu suo,  
Capitulo congregato præsentavit dictum  
Conversum Apostolicum super provisione  
hac Pontificia, Româ sibi submissum; con-

tra spem verò suam repulsam tulit; nam à Reverendissimo Domino Decano nomine totius Capituli repositum ei fuit, memora-  
tum Conversum, licet in forma, & mo-  
do debito præsentatum, non posse accep-  
tari, ed quod à tempore immemoriali jus  
eligendi Scholasticum, etiam casu, quo  
priorē hujus dignitatis possessorem ad  
Mitram Episcopalem assumi contigit, pe-  
nes Capitulum fuerit. Proinde in secratæ,  
Dominus Carolus in patriam redire co-  
actus, Neo-Electo autem Scholastico  
Capitulari investitura est data.

Modus hic procedendi, quo usi sunt  
DD. Capitulares, Eminentissimo Domi-  
no Pro-Datario, ubi de illo à Domino  
Carolo informatus fuit, summopere dispi-  
cuit, qui proinde, sine interjecta mōra,  
Bullas Apostolicas expediri, & ad Capi-  
tulum dirigi jussit, sub comminatione Ca-  
nonicæ Censuræ, si pertinaciter repug-  
nantes, Provisionem hanc pro legitima  
not agnoscerent. Bullæ hæc, ubi expedi-  
tae fuerunt, directæ sunt ad Celsissimum  
Episcopum, qui in iis illarum executor  
fuit constitutus. Has ergo Dominus Ca-  
rolus, ubi Româ accepit, statim, dum  
tempus dabatur, sigillo occlusas, ad eun-  
dem Celsissimum misit, qui tamen, cùm  
tum abesset Consecrationis Episcopalis  
suscipienda gratiâ, exequi illas non po-  
tuit; interim tamen, postquam monitus  
fuit de Bullis istis transmissis, in mandatis  
dedit, ut illæ, sigillo munitæ, usque ad

ccc.

tempus redditus sui ad Sedem suam Episcopalem, affervarentur in Archivo suo Episcopal.

4. Dum hæc aguntur, Dominus Carolus accipit ab Illustrissimo Nuntio Pontificio literas, quarum tenore jubetur, quamprimum jura sua in ejusdem Nuntiaturæ Apostolico Tribunali per se, vel per Procuratorem producere, cum promisso, quod eodem tempore extradenda sint ipsi etiam illa, quæ ex parte Capituli, & Domini Canonici, in Scholasteria jam instituti, fuerunt proposita, ut contra ista possit excipere. Ad has literas reposuit Dominus Carolus, se Romam desuper scripisse, & alios etiam ius utriusque Doctores consuluisse, unde etiam exspectet responsum. Intermix Scholasticus Neo-Electus ad desistendum nullo pacto compelli se sinit, ipsumque Capitulum pergit pro certo habere, quod sibi jus conferendi Scholasteriam hoc in eventu competet, inducum præcipue his argumentis.

5. Imò. Fundat se in consuetudine immemoriali, quæ derogatum fuisse ajunt reservationibus, à S. Sede cum inclita natione Germanica factis tempore Eugenii IV. aliorumque successorum Pontificum. 2. Adducunt præjudicia, quippe cùm tribus vicibus anterioribus unus ex Canonicis præbendatis fuerit assumptus ad dignitatem Episcopalem, ubi, nemine in contrarium aliquid movente, Capitulum providit de dignitate, prius ab Episcopo Neo Electo possessa, & summus Pontifex dispositus de solo, & unico Canonicatu sic vacante. 3. Argumentantur à pari; nam, licet juxta Germanicæ Concordata, si contigerit Canonicum, provisum de dignitate, obire in mense Papali, Pontifex de dignitate etiam providere debeat, non obstantibus tamen his Concordatis, Capitulum quæstionis confert hoc casu dignitatem, & Sedes Apostolica solum Canonicatum. Pro cuius rei confirmatione adducunt recentem casum, ubi 4. unus ex Collegio de propaganda fide à Sede Apostolica per Bullas desuper emanatas obtinuit Canonicatum cum Præbenda Canonici in mense Papali defuncti, quæ tamen Bullæ in puncto dignitatis vacantis à Capitulo non fuerunt acceptatae, & provisus à Sede Apostolica ab ea consequenda repulsus fuit. Quæ arguments quantum firmitatis habent, docebit resolutio sequentium quæstionum. Proinde

## QUÆRITUR I.

Cui de jure competit propositio de dignitatibus, Beneficiis, & Officiis, vacantibus per promotionem ea habentis ad dignitatem Episcopalem?

6. Ad hanc quæstionem responsio, jure communis spectato, est indubitata,  
R.P. Schmalzgrueber Consilia.

quod provisio de his dignitatibus, & Beneficiis, ita vacantibus, pertineat ad Sedem Apostolicam; sic enim expresse decernitur

*Extrav. ad Regimen 13. inter comm. de  
Prab. & Dignit.*

ubi inter alia provisioni Sedis Apostolice reservantur dignitates, Beneficia, & Officia Ecclesiastica, vacantia per promotionem ad dignitates majores, Patriarchalem, Archiepiscopalem, Episcopalem &c. autoritate Pontificia factam, postquam sic promoti pacificam possessionem hujusmodi dignitatis collatæ acceperint: quæ reservatio confirmata fuit per regulam primam Cancellariæ Apostolice, & per Concordata Germania s. placet nobis. Neque refert, quod Ecclesiæ ita electivæ sint, sicut in Germania Capitulum Cathedrale habet jus eligendi Episcopum; nam per electionem tale non censetur vacare Beneficium prius habitum ab electo, sed primum accedente Confirmatione Papali, & adeptâ possessione.

*Laym. Theol. Moral. l. 4. tract. 2. c. 11. n.  
1. v. secunda.*

Estque hoc ita vetum, ut reservatio hæc effectum probabilius habeat, etiamsi electus, & confirmatus nondum consecratus, nec adeptus pacificam, & fructuosa possessionem Episcopatus sit, prout docent

*Abb. in C. cùm in cunctis 7. s. cùm verò n.  
3. de Elect. Azot p. 2. lib. 7. c. 16. q. 12.  
Flamin. l. 3. de resign. q. 1. n. 77. Gran.  
nut. ad Simonett. q. 27. n. 6. Barbos.  
de Offic. Episc. alleg. 57. n. 68. Wiest.  
ner ad tit. de prab. & dign. n. 100. &  
aliiab his cit.*

colligitur ex Concordatis  
*s. placet 3. v. rurjus, & extrav. ad regi-  
men cit.*

ubi Sedis Apostolice provisioni reservantur Beneficia, quæ promoti ad superiores dignitates tempore promotionis obtinent, & per eam sunt vacatura. Atqui electus per confirmationem jam promovetur ad Episcopatum; nam per illam coniugium spirituale cum Ecclesia, ad quam electus est, jam efficitur ratum.

## QUÆRITUR II.

An Concordatis Germania per contrariam consuetudinem, vel præscriptio-  
nem derogari possit?

N Egativam defendunt  
Branden ad Concord. q. 2. n. 4. Nico-  
larts ibid. tit. 3. dub. 2. s. 3. Gonzal. ad  
reg. 8. Cancell. Gleß. 31. n. 21. & seqq.  
Leuren. p. 2. for. Benef. q. 593. per  
totam. Pirhing ad tit. de prab. n.  
363.  
(CCC) Ni-

7.

Rationes  
dubitandæ

Nituntur imo quia usus, & observantia universalis apud omnes ferè Ecclesias Germaniae impedit particularem præscriptiōnem ex vi inseparabilis connexitatis, quam habent inter se partes, & totum.  
 2. Quia jus publicæ utilitatis, unionis, & tranquillitatis, quæsumus ex Concordatis toti imperio, non potest ullis subditorum factis, vel usibus immutari, vel tolli, tam parum, quam parum Clerici possunt se abdicare Privilegio Clericali.  
 3. Quia generatim præscriptio, & consuetudo Reservationibus Apostolicis derogare non possunt. 4. Quia constanter ita judicatur in curia Romana

secundum Decretum Gregorii XIII.  
 apud Nicolarts §. 25.

5. Quia Concordatis appositorum est Decretum irritans, siquid fecis à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignorantiter contigerit attenuari. Atqui Decretum irritans inficit titulum, & possessionem, sine qua præscriptio non potest currere. ergo &c. 6. Idem confirmat Bulla Clem. VII.

incipit admonet edita Cal. Jul. 1534.  
 & habetur apud Nicolarts tit. 3. cit.  
 dub. 2.

ubi laudatus Pontifex motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine declarat, Quascunque collationes, & alias dispositiones - - circa, vel contra tenorem, & formam Concordatorum quomodolibet factas, & impostorum faciendas - - nullum titulum, aut colorum ipsa Beneficia possidendi tribuisse, aut in futurum tribuere, sed sic promotos pro malafidei possessoribus, & mere intrusis ab omnibus habendos - - ita, ut ipsis neque Regula de annuali, vel triennali possessione, neque exceptio de Concordatis non receptis profint. 7. Idem habetur in Const. Innoc. X. incipit. Zelus Domus DEI edita 26. Nov. 1648. ubi statuit, omnia, qua contra Concordata statuta fuerint, irrita, virilisque & effectu vacua fuisse, & perpetuo fore, eisque præscribendi causam longissimo, & immemoriali tempore non acquireti.

8. Hæc sententia admodum probabilis est;  
 Resolvitur sed non minus probabilis est affirmativa,  
 quam tenet

Zypæus l. 3. consult. 3. n. 38. de præb.  
 & inclinat Engl ad dict. tit. n. 34.  
 Wielstorfer ibid. n. 71. la Croix lib. 4. n.  
 20.

si consuetudo illa, vel præscriptio sit temporis tanti, ut ejus initii non extet memoria. Fundantur 1. quia ejusmodi præscriptio, & consuetudo, Concordatis derogans, nullo jure expresse reprobatur. 2. Quia Concordatis derogari potest indulto, vel Privilegio Apostolico, & hoc de facto iisdem derogatum est per primas Preces Imperatoris, & per indultum, à Sixto IV. universitati Lovaniensi concessum, quo multis annis nominare poterat ad Beneficia tam mense Papali, quam Ordinarii

vacantia. atqui illa, quæ Privilegio obtineri possunt, acquiri possunt etiam consuetudine, vel præscriptione immemorali, si huic jus non resistat, & præscribens possessionis sit capax

arg. c. super 26. ¶. præterea, de V. S. I. hoc  
 jure 3. S. ductus aqua 4. ff. de aqu. quot,  
 & astiv.

3. Quia tali præscriptione defacto Domus Bavaria acquisivit jus nominandi, seu potius præsentandi Clericos ad dignitates, & Beneficia in utraque sua Provincia, si vacaverint mense Apostolico, extra Ecclesias Cathedrales, & civitates Episcopales, ut patet ex recessu Concordatorum initiorum anno 1583. inter dictam serenissimam Domum, & Ordinarios, quibus Bavaria subjecta est, c. 4. ¶. Das Jus mit Päpstlicher Heiligkeit Monath, so Ihre Durchleucht præscribet. 4. Quia per Concordata Germaniae relevantur Papæ etiam Beneficia curata, in mentibus Pontificis vacantia, ut docent

Laym. l. 4. tract. 2. c. 10. n. 3. Pirhing ad tit. de præb. & Dignit. n. 362.  
 & indubitatum esse assert. Nicolarts  
 tit. 1. dub. 6. § 1. & 5.

quo tamen non obstante, hæc Beneficia paucim providentur etiam ab aliis in hinc partibus, etiam sine concursu. 5. Quia durum videtur damnare tanquam invalidas omnes provisiones, in Germania factas contra Concordata. Dux autem, si consuetudo, vel præscriptio ista immemorialis sit; nam ordinariæ consuetudini, & præscriptioni probabilius vis alia quoad Concordata non competit, quam ea interpretandi: quod locum habet, quando tenor Concordatorum est dubius; nam eo casu permisum celebitur, quod ita usu receptum est, cum juris dubii optima interpres sit consuetudo

c. cum dilectus 8. de consuet.

Neque argumenta in contrarium opposita talia sunt, ut iis responderi nequeat.

Ad 1. sœpe aliqua Ecclesiæ universalē obligant, contra quæ particularium Ecclesiarum consuetudo præscribit; sic enim polis Hippiani die Sabbaci comedunt intestina animalium, Belgæ Sabbatis inter nativitatem Domini, & Purificationem vescuntur carnibus &c. Ad 2. non minus leges ad utilitatem publicam inductæ sunt, & tamen jis per consuetudinem derogari potest.. Ad id, quod additur de Privilegio Clericali, negatur paritas; nam consuetudo huic derogans præjudicat dignitati Clericali, non autem Papæ dignitati præjudicat consuetudo derogans Concordatis. Ad 3. ut aliis Legibus Ecclesiasticis derogari potest, ita etiam referuntur auctoribus Apostolicis. Ad 4. curia Romana sic judicans præsumit non adesse omnia, ad consuetudinem requisita, Ad 5. clausula irritans tantum addita est lege humana,

Q.  
Responde  
tur alter  
ationem ap  
polis.

II.

adversus quam omnem prævalere consuetudo contraria potest. Ad 6. Clementina illa Constitutio solum resistit consuetudini, vel præscriptioni, quæ fundata est in non usu contrario minoris temporis, quam sit longissimum, & immemoriale, ut notat

P. Wiestner ad tit. de prab. & dignit. n. 71.

Ad 7. Innocentiana hæc Constitutio solum impedit statuta, quæ facta sunt adversus Concordata. Atqui patet, statuta longe minorem habere vim derogandijuri Ecclesiastico, quam consuetudo, imo nullam.

### QUÆRITUR III.

*Quam vim contra Pontificem habeat talis consuetudo, vel præscriptio?*

10. R Esp. habere quidem vim, ut collationes, contra Concordata juxta consuetudinem legitimè præscriptam ab inferioribus Collatoribus factæ, sint validæ, non tamen ita, ut jus conferendi talia Beneficia per eam possit auferri Pontifici; nam isti, ut universali omnium Ecclesiærum Pastori, & Collatori Beneficiorum omnium, potestas respectu Ecclesiærum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum totius orbis amplissima competit, prout constat

*ex c. licet 2. de prab. in 6. & Clem. 1. in fin. ut lit. pend.*

& quidem jure Divino; nam potestatem hoc à Christo Domino immediate accepit. Proinde, cum contra ius Divinum nulla consuetudo, vel præscriptio prævalere possit, & ipsa consuetudo vim omnem habeat à consensu legali Principis, sicut Pontifex indulto suo, ita nec per hunc suum consensum legalem communicare alteri potestatem Beneficia conferendi nequit, quin semper majorem retineat.

II. Et ideo Pontifex, sicut in jurisdictione, ita etiam in conferendis Beneficiis quibuscumque, si potestate hac sua uti velit (quod tamen raro, & non nisi ex magna causa facit, ut notat

*Leuren. p. 2. For. Benef. q. 514. n. 2.*

cum Episcopis, & Collatoribus inferioribus concurrere potest, ita, ut, si Beneficium vacet in quacunque Diœcesi, non tantum Episcopus, alijsve Collator ordinarius illud conferre possit, sed etiam summus Pontifex, & sic inter hunc, & illos præventioni sit locus, quique prior conulerit, ejus collatio præferatur.

*Rebuff. prax. tit. de Devolut. n. 47. Garc. p. 5. de Benef. c. 1. n. 8. Lotter. l.*

*2. q. 22. n. 62. Laym. l. 4. tratt. 2. 6. R. P. Schmalzgrueber Consilia.*

10. n. 2. ¶ secundò Barbos. in c. dudum  
14. de prab. in 6. n. 8. Leuren. loc. cit. n.  
1. Illung tract. s. D. 2. n. 183. Engl  
ad tit. de prab. n. 7. Pithing idid. n. 78.  
Wiestner dict. tit. n. 44.

Imo idem Pontifex, cauſâ justâ hoc exigente, ut plurimi DD. à me in opere meo Canonico lib. 3. Decret. tit. 5. n. 271. allegati docent, contravenire etiam Concordatis Germaniæ potest, & conferre Beneficia, quorum collatio per illa inferioribus Collatoribus attributa est: quod colligitur ex ipsis Concordatis s. item placet. Ubi Pontifex promisit, se confirmaturum electiones Archiepiscoporum, & Episcoporum, si Canonicæ fuerint, additâ clausula, nisi ex rationabili, & evidenter causa - de digniori, & utiliori persona duxerimus providendum. Ratio est, quia hæc Concordata, licet habeant aliquam vim pacti, ut fatetur Julius III. apud Nicolarts, tamen magis sunt Privilegium Papale,

ut teste Nicolarts s. 6. comprobavit  
Rota in Leodiensi Canonicatus 15. Mart.  
1610.

Privilegio autem à se dato Papa abdicare se potestate conferendi Beneficia quæcumque, utpote quæ, ut dixi, juris Divini est, nisi Papatui renuntiando, nequit. Multò ergo minus eidem Pontifici per consuetudinem, vel præscriptionem tolli potest potestas conferendi Beneficia, & dignitates, quarum collationem sibi reservavit in Concordatis. Atque ex his facile deducitur

### Resolutio præsentis casūs.

DICENDUM, allegatam à Reverendissimo Capitulo coniunctudinem, & præscriptione non posse præjudicare Pontifici, quin D. Carolo potuerit conferre Scholasteriam, quæ hoc casu per promotionem Reverendissimi Scholastici ad dignitatem Episcopalem ipso jure vacare cœpit. Nam imo Scholasteria istius collatio, ut dictum est num. 6. per Extrav. ad Regimen cit. & ipsa Concordata Germaniæ fuit reservata summo Pontifici, cuius reservationis ea est vis, & effectus, ut per illam quasi claudantur manus cuiuslibet Collatoris inferioris, ad quem alias provisio de Beneficio de jure, vel alio modo spectaret, sic ut tale Beneficium, durante reservatione, conferre non possit

*c. licet 2. deprab. in 6.*

& ipsa collatio, ab ipso contra ejusmodi reservationem facta, sit ipso jure invalida, nec præbeat titulum, aut veram possessionem ei, cui est facta. Et licet juxta dicta num. 8. Concordatis Germaniæ per consuetudinem immemorialem derogari probabiliter possit, tamen.

2. Præsertim, quod contrarium multi  
(Ccc 2) do-

12.

13.

14.

doceant, ex argumentis num. 7. allatis, impri-  
mis probari deberet consuetudo hæc à Re-  
verendissimo Capitulo asserta, & non tan-  
tum allegari; nam consuetudo est facti, facta  
autem probari, & non tantum allegari debent.  
Probatio autem hæc fieri debet per testes  
testificantes, quod semper ita viderint, &  
audierint sic fuisse, & nunquam contrari-  
um; item quod communis sit, & fuerit  
semper opinio, & fama de hoc facto, &  
quod nec initi, nec contrarii extet me-  
moria. Probatio autem ista videtur in  
hoc casu deficere, ut constabit ex respon-  
fione ad argumenta, ad eodē Reverendissi-  
mo Capitulo in contrarium proposita. Et  
esto, probata sufficenter fuissest hæc con-  
suetudo, tamen

**15.** 3. Consuetudo ista non potuit ligare  
manus Pontificis, quippe qui, quando  
potestatem conferendi Beneficia alicui se  
inferiori concedit, hanc potestatem juxta  
dicta num. 10. ita ipsi communicat, ut ma-  
jorem sibi reservet. Hinc juxta num. 11.  
cum quoconque Collatore inferiore potest  
concurrere, inquit, ut dictum est num. 12. ip-  
sis etiam Concordatis derogare. Adde,  
quod ad legitimam consuetudinem requiri-  
ratur consensus saltem legalis Principis,  
cujus legi per consuetudinem derogatur:  
quod autem hoc casu deficiat consensus  
Pontificis, & consuetudinis hujus appro-  
batio, videtur patere ex casu, ante ali-  
quot annos in sacra Rota ventilato, ubi  
vacantem per sui ad Insulam Episcopalem  
promotionem Scholasteriam ipse Neo-Ele-  
ctus, postquam Ecclesiæ sua administra-  
tionem suscepit, juxta consuetudinem,  
quæ dicebatur in ea Ecclesiæ fuisse immemo-  
rialis, contulit alteri Canonicō Capitulari,  
cui tamen, postquam per octo omni-  
no annos eam dignitatem, nemine contra-  
dicente, possedit, alias Concanonicus,  
opponens, eam collationem contra iura  
Pontificia, & Germaniæ Concordata at-  
tentatam esse, in curia Romana item in-  
tentavit, idque effectit, ut latâ in sic pro-  
visum lentiā, iste Scholasteriam cedere  
Adversario suo, eidemque fructus ex hac  
perceptos restituere juberetur, additâ com-  
minatione excommunicationis, nisi intra  
tres menses à die insinuationis sententia  
hujus numerandos partitionem faceret,  
quam etiam præstitit. Hæc omnia confir-  
mabit responsio ad argumenta num. 5. op-  
posita.

**16.** Ad 1um. hoc argumentum, si tamen  
Responde-  
eur ad ar-  
gumenta  
opposita.  
consuetudo hæc est legitimè præscripta, &  
ritè probata, ad summum probat, quod  
vi illius Capitulum Scholasteriam questio-  
nis in casu, quo per Scholastici ad Insulam  
promotionem vacat, licet, & valide con-  
ferre possit, si Pontificis collationem ele-  
ctione suâ prævenerit: non verò, quod  
excludere possit à collatione ejus Pontifi-  
cem, quippe cujus potestati, utpote à

Christo immediate acceptæ, nulla con-  
suetudo, vel præscriptio derogare potest.  
Deinde consuetudines, cum istricti juris  
sint, præsertim illæ, quæ sunt contra le-  
gem, ita interpretari oportet, ut quam  
minimè derogent legi. Cum ergo per Con-  
cordata Germaniæ, quæ vim legis pacto  
firmata habent, in casu, quo Scholasti-  
cus, vel alius Canonicus ad dignitatem  
Episcopalem assumitur, hujus Beneficia re-  
serveantur Pontifici, consuetudo contra  
ista summum id obtinebit, ut conferre hæc  
Beneficia possit, & collatio ejus valeat,  
qui illa primò contulerit; sic enim con-  
suetudo talis effectu suo non destituitur.  
Contulit autem in casu præsenti Schola-  
steriam vacantem primò Sedes Apostolica.  
Igitur ab hac provisus in legitima juris sui  
possessione stabit, & debet man-  
tere.

Ad 2dum imprimis consuetudo, ut sit  
legitime præcripta, dicit frequentiam actu-  
um. Atqui, quod semel, bis, aut etiam  
ter fit, non dicitur fieri frequenter, sed  
quod fit assiduo

*l. item 15. s. aliud est 22. ff. de injur.*  
Deinde tres actus, in hoc argumento al-  
legati, ad summum probant consuetu-  
dinem longi temporis, non verò immemo-  
rialē; nam ad hanc probandam requiri-  
tur, ut probetur, semper ab hominum  
memoria ita fuisse factum, & nunquam  
contrarium. Cum ergo hoc nondum  
fuerit ostensum, & consuetudo etiam lon-  
gi, vel longissimi temporis juxta dicta num.  
8. in fin. Concordatis derogare non possit,  
neque jus præventionis in simili calu  
contra Pontificem Capitulo competit: multò  
ergo minus resistere collationi ab isto facta  
valebit. Denique ex non resistentia præ-  
cisè non infertur approbatio Pontificis;  
multa enim dissimulare Princeps debet,  
quæ tamen non approbat. Proinde ex  
eo, quod tribus anterioribus vicibus Capit-  
ulum providerit de dignitate, prius ab  
Episcopo Neo-Electo possessâ, & summus  
Pontifex de solo Canonicatu, nullum jus  
novum à Capitulo obtentum fuit, cum  
præsumi possit, quod in iis casibus ad cu-  
riam Romanam delata sit sola vacatura  
Canonicatus, ex persuasione autem, quod  
electio ad Scholasteriam, simul cum Cano-  
nicatu vacantem, pertineat ad Capitulum,  
reticita hujus vacatura. Et esto, quod  
Pontifex sciverit Neo-Electum etiam fui-  
sse Scholasticum, vel aliam dignitatem ob-  
tinuisse, & tamen usus non sit jure suo se-  
cundum Concordata, non usus juris est  
res meræ facultatis, quæ nunquam præscri-  
buntur

*arg. l. viam publicam 2. & ibi Gloss. ff. de  
via publ. & itin.*

præsertim quoad Pontificem, cui non usus

juris sui præjudicare non potest.

Ad 3. imprimis argumentum à parti

con-

consuetudine locum non habet, quippe quæ de uno casu ad alium extendi non debet, cùm unum præscribi, vel consuetudine aquiri sine altero possit. Proinde ex eo, quod Capitulum mense Papali conferat dignitatem, & Pontifex solum Canoniciatum, non sequitur, quod idem jus Capitulo prædicto competit in casu altero, ubi dignitas, & Canonicatus vacat per assumptionem possessoris ad dignitatem Episcopalem. Deinde, licet de jure alternativæ subjaceat dignitates omnes, majoribus post Pontificales in Ecclesiis Cathedralibus, & primis in Collegiatis inferiores, idem tamen locum duntaxat habet, nisi alicubi in contrarium detur Privilegium, aut consuetudo, qualiter.

Van Espen. J. E. U. p. 2. tit. 23. c. 5. n.

19.

testatur dari passim, ut Capitula eligant suos Decanos, quounque mense contigerit vacatura. Simile ergo Privilegium, vel consuetudo probari deberet à Capitulo quoad jus eligendi Scholasticum in casu, quo collatio Scholasteriæ per Concordia reservata est Papæ ex causa Scholastici prioris ad Episcopatum assumpti: quo casu, ut dixi, obtineret quidem jus hunc

eligendi, non tamen excludendi Pontificem, si velit jure præventionis uti, prout uti potest etiam sine alia causa, cùm ei quoad hoc assistat, Capitulo autem resistat jus Concordatorum, respectu cuius consuetudines contrariae, ut iterum dixi, explicari debent, ut quam minimum ei noceant.

Ad 4. Quæstio imprimis est, an in casu proposito provisus à Sede Apostolica justè fuerit repulsus à consequenda dignitate, de qua provisus est, sæpe enim protestatio adversus hujusmodi Bullas provisiones interponitur, quin eajuri innitatur. Deinde hoc argumentum iterum fit à pati, atque adeò responsionem patitur, quam dedi ad argumentum præcedens. Si repulsum ita provisus tulit quoad dignitatem, ideo fortasse tulit, quia hanc jam antea Capitulum, consuetudini innixum, consultit alteri: & sic fuit casus longè diversus à nostro. Ut ergo præjudicia, in hoc, & priori arguento allata aliquam probandi vim haberent, necesse foret rescire omnes circumstantias allegatorum casuum. Interim verò standum erit pro validitate provisionis Pontificiæ, & istæ manutencenda, ex principiis hæc tenus deductis.

19.

## CONSILIO XLII.

In causa Precistæ intra debitum tempus non insinuantis se Collatori, quod Beneficium, ad quod primas preces imperatoris habet, acceptet.

### SUMMARIUM.

1. Facti species.
2. Precista debet intra debitum tempus præsentare rescriptum, & acceptare vacans Beneficium.
3. Secus non erunt ligata manus ordinario Collatori.
4. Precista, neglecto primo, potest petere secundum vacans Beneficium, nisi preces sint restrictæ ad primum.
5. Concessio censetur tandem dare facultatem

### FACTI SPECIES.



cujsdam Canonici. Interea precista non comparuit, neque per se, aut Procuratorem insinuavit Collatori ordinario, quod vigore precum Canonicatum istum acceptare velit. Quæritur, an jure suo precista hoc casu ceciderit? antequam ad quæstionem istam respondeam, prius solvenda est sequens

### Quæstio Præliminaris.

(CCC 3)

Quid